

gen clarissimi Muratorii per Socios Palatinos Mediolanenses locupletiorem redditam, auctioremque, Florentiae ex typographia Petri Caietani Viviani in vulgus prodit. Et certe, ut verum candide fatetur, penes laudatum typographum facultas amplius non erat, Opus praecellare, incoepsum feliciterque ad umbilicum perducere; tot tantisque difficultatibus obsitum implexumque iis, qui illud edendi provinciam suscepserant, quotidie magis comparebat. Namque ad exhibendos optimos illos conatus multarum, quibus opus erat, laborabatur rerum penuria, quas non inconsulte silentio duximus praeterire. Nobis autem, super haec omnia, tot nova, ac nondum in lucem prodata Scriptorum molimina ad manum sunt, tot integræ tractationes ad rem pertinentes non iniucundae in nostris hospitantur hibernis, ut satis superque sint ad hanc Editionem etiam ampliorem efficiendam.

Quod supereft, optime Lector, docebit Te rerum Index, his ipsis, quae iam praefamur, subiunctus, Nos in auctorum numerum eos non solum cooptasse Scriptores, qui temporum historias concinnarunt, & quos chronographos muncupant, sed etiam, qui locorum descriptiones litteris tradidere, quos topographos dictitarunt, cuius maxime generis est BERNARDUS ORICELLARIUS, qui Librum de Urbe Roma, seu doctissimum Commentarium in Publum Victorem, ac Sextum Rufum de Regionibus Urbis posteritati reliquit. Neque id temere; nam, quum de ferendo iudicio super hac re mature, opportuneque ageretur, & nosfrates non pauci magni nominis, atque auctoritatis fama celeberrimi viri digladiaturi in arenam descendenter, & quid singuli sentirent, edicerent, prænuntiarentque; Nobis tandem visum est ceteris omnibus præferendum sapientissimi Ioannis Lamii consilium, qui bene, ac laudabiliter topographos etiam Scriptores, & potissimum Oricellarium in hac Editione recenseri posse comprobavit. Verum, ne cancellos, quos ipse mihi circumdedit, egredi videar, longioribus verbis rem non protraho. Interea, optime Lector, hisce ferculis Tibi libenter adpositis, tuoque palato, ut Nohis sperare fas est, ad prime adcommodatis, ex voto nostro utere, quibus vel leviter degustatis cupidissime adpetes ea omnia, quae ex aequo Tibi sumus daturi, Nosque in tuum unice intentos commodum in desinenter ama.